



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 103. Controversia de Stigmatibus S. Catharinæ Senensis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV. *sententes literas in Ecclesiis suarum Diocesium*
A.C. 1483. *dum major populi multitudo ad divina con-*
venerit, sermonibus ad populum faciant publi-
licari, si quis autem hanc paginam nostri de-
creti infringere, vel ei ausu temerario con-
traire præsumpserit, indignationem Omnis-
potentis Dei & Beatorum Petri & Pauli
Apostolorum ejus se noverit incursum.

§. CIII.

Controversia de Stigmatibus S. Ca-
tharinæ Senensis.

Exstat adhuc alia ejusdem Pontificis
 Constitutio hoc anno edita occasione
 controversiæ, quæ itidem inter Religio-
 sos S. S. Dominici & Francisci suborta
 erat; hi enim S. Catharinam Senensem
 Stigmatibus signatam fuisse negabant, et
 singulare hoc privilegium solum divo Fran-
 cisco eorum Patriarchæ fuisse concessum
 asserabant; isti vero sententiam suam
 firmabant ipso hujus sanctæ Virginis tes-
 timonio, necnon verbis illius, qui eun-
 dem a Confessionibus erat, Raymundi
 nimirum Capuani; sancta enim Virgo ad
 animæ suæ Arbitrum hæc perscripsit
Noveritis, Pater, quod stigmata Domini
Jesu misericordia sua ego jam in corpore
meo porto. Ex his Dominici quidem S.
Catharinæ Senensis hæc stigmata vere im-
pressa fuisse contendunt: fatentur tamen

ea in corpore hujus Virginis exterius non apparuisse. *Domini* vidi, inquit ipsa, *Cruce affixum, super me magno cum lumine descendentem; propter quod ex impetu mentis volentis Creatori suo occurrere, corpusculum coactum est se erigere. Tunc ex sacratissimorum ejus vulnerum cicatricibus quinque in me radios sanguineos vidi descendere, qui ad manus, & pedes & cor mei tendebant corpusculi. Quapropter advertens Mysterium, continuo clamavi: Ita, Domine Deus meus! Non appareant, obsecro, cicatrices in corpore meo exterius. Tunc adhuc me loquente, antequam dicti radii pervenissent ad me, colorem sanguineum mutaverunt in splendidum, & in forma puræ lucis venerunt ad quinque loca corporis mei, manus scilicet, & pedes, & cor.*

Sæcul. XV.
A.C. 1483.

S. Antonin.
chron. 3. par.
tit. 23. c. 14.
§. 10.

Præterea F. F. Prædicatores non leve opinionis suæ argumentum petebant ex S. Antonini testimonio, & Pii II. Pontificia auctoritate, qui Catharinam sanctarum Virginiaum fastis adscriptam proprio honorabat officio, in cujus hymno hæc leguntur verba: *Vulnerum formam miserata Christi exprimit ipsa* (*).

Nihilominus Franciscani apud summum Pontificem, qui ex eorum Ordine assumptus erat, tantum prævalebant, ut ipse

(* In hymno Officii hujus Sanctæ.

Sæcul. XV. ipse indicis etiam censuris Ecclesiasticis
A.C. 1483 imagines hujus Sanctæ cum stigmatibus
 pingi prohiberet. Postea tamen Decre-
 tum suum mitigavit, censurasque sustu-
 lit. *Satius, inquit Spondanus, longe pre-
 ret Franciscanis, humilitatem ac pauperi-
 tem sui Conditoris imitari, quam hujusmodi
 superbis disputationibus gratiam Dei restrin-
 gere velle ad suas iniquas invidias: disputa-
 re enim de meritis Sanctorum, est gene-
 rare lites & contentiones inutiles, na-
 trireque superbiam, & vanam gloriam, ex
 de oriuntur invidiæ, & dissensiones, dum
 iste illum Sanctum, & alius alium conatu
 superbe præferre, ut præclare observavit Au-
 thor libri de Imitatione Christi (*).*

*Spond ad
 ann. 1483.
 num. 8.*

§. CIV.

Auctus Cardinalium Senatus.

Sixtus IV. Pontifex denuo Cardina-
 lium Collegio novos Præsules adieci-
 pit, nimirum Joannem de Comitibus pa-
 tria Romanum Archiepiscopum Cosentini-
 num (**), Presbyterum Cardinalem tituli
 S. Vitalis; Eliam de Bourdeille natione
 Gallum, Archiepiscopum Turonensem tituli

(*) *V. Thom. Kemp l. 3. de Imit. Christi
 cap. 58.*

(**) *Ciaconius & Paggius legunt, Cosen-
 pianum, Onuphris vero Confanum.*